

I

AD MAECENATEM

Asclepiadeus minor

Maecēnās atavīs ēdite rēgibus,
Ō et praesidium, et dulce decus meum :
Sunt quōs curriculō pulverem Olympicum
Collēgisse iuvat, mētaque fervidīs

Ēvītāta rotīs, palmaque nōbilis
Terrārum dominōs ēvehit ad deōs.
Hunc, sī mōbilium turba Quirītium
Certat tergemīnīs tollere honōribus ;

Illum, sī propriō condidit horreō
Quidquid dē Lybicīs verritur āreīs.
Gaudentem patriōs fīndere sarculō
Agrōs, Attalicīs condiciōnibus

Numquam dīmoveās, ut trabe Cypriā
Myrtōum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Īcariīs flūctibus Āfricum
Mercātor metuēns, ōtium et oppidī

Laudat rūra suī : mox reficit ratēs
Quassās, indocilis pauperiem patī.
Est quī nec veteris pōcula Massicī,
Nec partem solidō dēmere dē diē

Spernit, nunc viridī membra sub arbutō
Strātus, nunc ad aquae lēne caput sacrae.
Multōs castra iuvant, et lituō tubae
Permixtus sonitus, bellaque mātribus

Dētestāta. Manet sub Iove frīgidō
Vēnātor, tenerae coniugis immemor,
Seu vīsa est catulīs cerva fidēlibus,
Seu rūpit teretēs Mārsus aper plagās.

Mē doctārum hederæ praemia frontium
Dīs miscent superīs ; mē gelidum nemus
Nymphārumque levēs cum Satyrīs chorī
Sēcernunt populō ; sī neque tībiās

Euterpē cohibet, nec Polyhymnia
Lesbōum refugit tendere barbiton.
Quod sī mē lyricīs vātibus īseris,
Sublīmī feriam sīdera vertice.